
IR
3842.

Albertus Wichgrevius,
Epithalamion
M. Pavlo Sperlingio
&
Annæ Cranenbergiæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]

DA BOX

BIBLIOTHECA
REGIA
HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]

EPITHALAMION

Quo

Doctiſsimo & Clariſsimo
viro, Domino

M. PAVLO SPER-
LINGIO RECTORI SCHOLAE

Hamburgenſis fideliſsimo, cum lectiſ-
ſima, honeſtiſsimaque virgine AN-
NA CRANEnbergia cele-
branti nuptias.

Gratulatur.

ALBERTuS VVICHGREVIuS.
Hamburgenſis.

ROSTOCHII
Typis Myliandrinis, Anno
IↃ. CIↃ. XCII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]

BIBLIOTHECA
REGIA
HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]

FAllor? an in varias Genium turbantia parteîs
Interdum eveniunt, & habent vaga Somnia pondus?
Nuper enim (memini, nec me ſopor altus habebat)
Luſtratum Roſeis vicinos mœnibus agros
Dum properans, pecudes paſsim mirabar ovantêis
Et matutinos volucrum inter nubila cantus!
Piſcoſas ſubii cygnei ad Varnados undas
Paulatim, ac riguæ quæ conſita margine ripæ eſt,
Diffuſo patulæ recubans ſub tegmine Quercus,
Fortè vel arguto varii modulamine cantus,
Vel rauco fluvii ſtrepitu, faciente ſoporem,
Oppreſsit placidus nictantia lumina ſomnus.
Hîc Erycina Venus, blanda Eucharis, aurea Virtus,
Pallas, cum geminis Aglaja ſororibus, omnes
Najades & Drÿades, illis mixtæq; Napęæ,
Hinc ſvavis Suada, & ſublatam Lampada quaſsans
Lætus Hymen, mittensq; puer fera tela Cupido,
Gambriviæ, mea PAVLE, Scholæ fax, lumina propter,
Te circum inſigni ſunt viſæ aſtare Coronâ.
Protinus ergo mihi pavidâ formidine membra
Cincta prius trepidant, poſt hæc præcordia terror
Lauridus irreptans, mentem quaſsavit & artus.
Haud tamen expellor, facilis licet illa, quiete
Sed velut erectus jaceo, & procul omnia viſu
Perluſtro ancipiti, tactæq; indagine mentis.
Ac jam multa movens tacitoq; in corde volutans
Sudo rei penitus cauſam, & cognoſcere finem.

Nec

Nec mora : comta Venus , reliquis prior omnibus : agmen
Proſilit in medium , vultuq́ꝫ ſuperba ſereno,
Porrectis digitis prændit te PAULE tenellis.
Et jam virgineo dum calfacit oſſa calore,
Sic ait , ad reliquas convertens lumina Divas,
Divæ, noſter amor, blandæ teneræq́ꝫ ſorores,
Aurea progenies , Veneris gratiſsima cura,
Una quibus mecum ſemper mens omnibus , una
Vis, labor, et Pietas, cœli terræq́ꝫ Monarcham
Dicere, & humanam duro in diſcrimine gentem
Servare, & famâ, pia facta efferre, perenni,
Mollis adeſte cohors , linguisq́ꝫ animisq́ꝫ faventes.
En animi egregium juvenem, Tritonia Pallas
Quem docuit , multaq́ꝫ inſignem reddidit arte,
Hunc ego(nam video, nec me ſententia fallit,
Ipſe etiam varias Veneris jam cogitat artes,
Atq́ꝫ oculis celeres calidis jaculatur amores)
Veſtrâ pace , meæ, veſtroq́ꝫ juvamine, Divæ,
Connubio ſtabili jungam, propriamq́ꝫ dicabo,
Hunc ego certantes alterno in pectore amores,
Iucundos thalamos , & vulnera grata docebo.
Ecquid turbet opus ? Deus, hei Deus ipſe Deorum
Annuit, & tacitum meditans SPERlingius ignem.
Ergo DEæ , properate DEæ , properate ſorores,
Si vos ulla movent ſocialis gaudia lecti,
Si vos dius honos , ſi vos mortalia tangunt
Pectora , ne longas cunctando nectite cauſas,
Tuq́ꝫ animi præſtans juvenis , cui mentem animumq́ꝫ
Delius inſpirat vates , quem mater Amorum
Uſqueadeo fovet, erectâ cape gaudia fronte.
Nec te pœniteat Veneris dulciſsima dicta
Auribus accepiſſe , & levia caſtra ſubiſſe.

Omnia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]

Omnia tuta dabo. tœda hæc, non tœdia, non hic
Lectus habet luctus, ſum candida Diva, nec ullum
Vel ſcelus, inſidiasve ſtruo, mihi mollia curæ
Coniugia, & caſti prædulcia vincula amoris.
Nam noſtro effectum ſi fortè putaveris aſtu,
Quod matrem Ægyſtus, Chryſeida victor Atrides,
Hermionem Pyrrhus, Dinam audax Hemore natus,
Pegaſis Oenone Paridem, Theſeusq́ Lacænam,
Pulcer Abydenus Seſtam Lëander Heronem,
Quod Canacen Machareus, quod Mœnaliam Athalantam
Oeonides, niveam Briſëida fortis Achilles,
Quod caſtam, Regum poſtremus in urbe Quirini,
Illam heröinam furialibus ignibus arſit,
Falleris, & noſtras, juvenis, malè percipis artes.
Has furias, multâ cum cœde, & ſanguine multo,
Illa Venus (ſancta ut docuerunt turba Poëtæ)
Ventilat, è Pelagi mediis quæ fluctibus orta
Mobilior volucri vento, atq́ incertior eſt, quos,
Fluctibus aura ciet! paſsim quæ gaudia mille,
Mille voluptates jactat: queîs callida mentes
Et juvenum fictis capiat præcordia verbis.
Illa Venus Virtutem odit, verumq́ laborem
Nocturnis gaudens epulis, ubi pocula dulci
Multa mero, veteriq́ toreumata rore rigantur.
Hujus ego inſidias, fœdosq́ Libidinis ignes,
Ni prece deteſter dirâ, Styge pejus & Orco,
Flumina me rapiant, vel tellus ima dehiſcat.
Dixit: & extemplo circumſpicit ora cohortis
Subridens blandum! cum paſſu lœta citato
EUCHARIS occurrit Veneri, Puerοq́, Tibiq́.
Atq́ ea, ſubmiſſo vultu, ſic voce profatur.
Si rerum Princeps probat, & nos jure probamus

 Quæ

Quæ petis? hæc igitur quis vota, calentia vota
Rejciat? ſoror alma Venus, tu perfice cæptum,
Dum te fata vocant, DEus & qui pronubus ipſe.
Tuq; adeo juvenis, ne reſpue munus amoris,
Aggredere ô magnos, aderit modo tempus, honores,
Perficito ô magnos, venit nunc tempus, amores.
Nec te pœniteat: Deus hos tibi iungit amores
Virginis egregiæ, quâ vix formoſior vlla
Cernitur Hammonias inter, me judice, nymphas,
Ecquis enim dubitet, multis patre CRANENBERGIO,
Illiusq; uxore ſatam præcellere nympham?
Scilicet hæc mentem referens, ac membra parentum
Candidior Cygnis, hederâ formoſior alba eſt,
Aureaq; è pulcro micat ANNÆ pectore virtus:
Quicquid voti optaſtis, adeſt. Quin ilicet imo
Pectore, quod mittet puer Aliger, excipe telum.
Has inter voces, media inter talia dicta
Armiger auratam fulgente Cupido ſagittam
Depromit pharetrâ, tum flexum corripit arcum
Collimansq;, tibi directo in pectora cornu,
Hoc, exclamat, habe; mox lento expulſa lacerto
Provolat, & reſonans omnes fragor occupat aures.
Tum vero unanimes lœtum Pæana canentes,
Dulcia multiplici ſuſtollunt jubila plauſu,
Gratanturq; tibi factum ſine vulnere vulnus,
Et puer alterno victor pede gramina pulſat. (quit
Cui ſic occurrens Diva EUCHARIS, heus puer, in-
Siſte gradum, haut proprium ducis (mihi crede) triumphum
Non ſolum hæc tua palma, ſed & victoria noſtra eſt.
Namq; illo citius facto jam prole parente
(Cinxia IuNO adſis, adſis populonia IuNO)
Quam decies ſolitum vaga Cynthia compleat orbem
Specta

Spectabis puerum, felici ſidere natum,
Non tibi, nec matri, at noſtro quoq; (crede) Lyceo.
Utq; utramq; igitur maneat digniſsima fama,
Palma, VENuS, communis erit, communis utriſq;
Cunctaq; jam noſtro nos fauſta precemur alumno,
Et ſine quo nulli benè coniunguntur amantes,
Humanæ autorem gentis per vota vocemus.
Dixerat: hic omnes duplices candentia palmas
Poplite curvato, & reſupino ad ſidera collo
Suſtollunt, omniſq; ſtrepit mox murmure campus
Ut perterricrepus ſylvis immurmurat Auſter.
Nec mora: dum teneras reſonans ſonor impulit aures
Et memori omne tamen menti immiſiſſe laboro.
Protinus hac dulcis ſolvor gravitate ſoporis,
At quicquid vidi, tenues ſeceſsit in auras
Nullaq; Divarum vel vox vel verba ſequuntur.
Ergo citus tellure levans mea laſſula membra,
Luminibus paſsim cupidis loca cuncta pererro.
Hic nova res oculis ſeſe, ſed imagine vera
Obijcit: adverſæ, gemini reſidere volucres
Fronde ſuper viridi Quercus (nec fallor, uterq;
PASSER erat) roſtris qui roſtra calentia morſu
Inijcere alterno, & pariter modo pipillare.
Tum demum hâc pugnâ roſtris linguiſq; peractâ
Rurſus Varniadum, quâ ſemita monſtrat ad urbem
Carpo viam, jâm jamq; tibi, ſponſæq; pudicæ
Gratulor, ac IOVAM precor, ut pia cœpta ſecundet.
Interea tectis ſuccedo; ibi nuncius urbe
Venit ad HAMBVRGA, referens mihi verba parentis
Dulcia; queîs lectis, certis intelligo ſignis,
Advolitare diem, dabitur modo quâ SPERLINGIO
ANNA decens, ſocij pars CRANENBERGIA cordis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]

Ergo mihi exultant trepidis præcordia fibris,
Ac cum læta dies nitido procedat Olympo,
Annitor tenui mea Somnia condere verſu.
At mihi, & (heu) tenui deſunt in carmine vires
Ingeniiq́ vetat capiti ſubmittere tantum
Conſcia culpa mei pondus, pinguisq́ Minerva.
Quæ mea Muſa tamen cecinit pro tempore, Sponſe,
In veſtram laudem (quanquam nil laudis egetis,)
Hæc, rogo, tu lætâ, donum tibi, ſuſcipe fronte.
Nam, quod adhuc nullo ſunt carmina tincta lepore,
Nondum quin fatear?) luſtravi Heliconia Tempe
Inq́ tuis rudior caſtris ſum miles Apollo.
Aſt ubi ſe facilem dederit mihi doctus Apollo,
Tum meliora Canam, tibi Sponſe ANNÆq́ pudicæ
Interea eveniant fauſtâ mea Somnia luce,
Et facili ſemper ſuccedant omnia curſu.
Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]

3842

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3842 4° [46,-104]